

The Orphanages

The two inhabitants are very proud to show their visitor the schools for children who might otherwise have no home.

CU: E regione collegium est promiscuorum puerorum,
utrisque Joanni consecratum.

AL: Quos tu appellas promiscuos?

CU: Hispano-Indos.

5 AL: Dic explicatius.

CU: Orbatos, qui nati sunt ex hominibus Hispanis et
Indicis feminis.

AL: Quid ibi conclusi agunt?

10 CA: Legunt, scribunt, et quod est potius, in his, quae
ad Dei cultum pertinent, instituuntur. Bini in talaribus
vestibus incedunt, plerumque quaterni, quia pueri.

AL: Quid acturi ubi adoleverint?

15 CU: Liberalibus, qui ingenio valent; ceteri qui non, perinde
mechanicis et circumforaneis artibus incumbent; quo fit ut
una cum aetate, crescentes virtute, viri facti, nisi inviti, ad
malum induci non possint. . . .

Ad sinistram non est procul aliud promiscuarum
puellarum collegium non minus quam puerorum celebre.

CA: Ibi diligenter asservatae, ubi muliebres artes consuendi
 20 scilicet acu pingendi edoctae sunt: et in his quae ad
 Christianam pietatem attinent, instructae: ad annos quum
 nubiles pervenerunt, maritis copulantur.

AL: Magnum sane utriusque sexus remedium
 commemoras. Illud tamen quod est post aquaeductum
 25 albicans et eminens templum tanta in amplitudine
 positum? cui ex divis nuncupatum est?

CA: Ioanni Baptistae.

VOCABULARY

acus acus *f* needle

adolesc•o –ere adolevi adultum to grow up

albic•o (1) to be white, gleam white

asservat•o (1) to watch over

attin•eo –ere –ui –tentum to be concerned with, be connected to

bin•i –ae –a *adj* two by two

circumforane•us –a –um *adj* connected to the business of the market place

consu•o –ere –i –tum to sew

explicat•us –a –um *adj* clear

incumb•o –ere incubui incubitum to apply oneself to

liberal•is –e *adj* cultured, gentlemanly

marit•us –i m husband

mechanic•us –a –um *adj* trade, engineering, building

muliebr•is –e *adj* womanly

nubil•is –e *adj* marriageable

orbat•us –a –um orphaned *perfect pass participle of orbo (1)* to bereave

promiscu•us –a –um *adj* common, mixed-race

quatern•i –ae –a *adj* four by four

talar•is –e *adj* ankle-length

val•eo –ere –ui –itum to be well, be strong